



Disputatio juridica inauguralis de nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/340708>

DISPUTATIO JURIDICA
IN A U G U R A L I S,
DE
N U P T I I S,

Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D. ejusdemque Facultatis in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ
Professoris Ordinarii,
N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Et summis in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
rite, ac legitimè consequendis,
Eruditorum disquisitioni subjecit.

MARINUS SCOTTE, Mediob-Zeland.

Ad diem 14. Decembris horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō lōc LXXXVII.

Nobilissimis Amplissimis Strenuissimisque
VIRIS

D. D. JOHANNI van ROEBERGE,
Recensendis Copiis militaribus Præfecto, excubino,
&c. vitrico, & tutori meo vigilantissimo, filiali
amore prosequendo.

NEC NON

D. D. SIMONI SCOTTE,
Tribuno Militum, Patruo meo Magno, semper
honorando.

UT ET

D. D. BONIFACIO van VRYBERGE,
Domino de VRYBERGE, & Illustrissimorum ac
præpotentissimorum D. D. Ordinum Generalium
Confessui membro Adscripto, Avunculo meo, bene
de republ. merito.

UT ET

D. D. ADRIANO van VRYBERGE,
Rerum criminalium Prætori in Axel, Neusen, &
Biervliet. Avunculo meo plurimum colendo.

*Theses hæc Inaugurales in grati animi signum
ea quâ decet observantiâ*

D. D. D.

MARINUS SCOTTE, Auctor.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

DE

NUPTIIS.

THESIS I.



Nstitutio nuptiarum, est ex jure divino. *Genes. 2. 9. Matth. cap. 19.* Quantum ad conjunctionem corporum, instinctum & conservationem speciei, ex jure naturali *l. 1. §. 3. ff. de justit. & jure. instit. de jure natu. gent. & civili.* Quantum ad consensum quo contrahitur, ex jure gentium, sicuti & alii contractus. *l. 5. ff. eod. l. 1. §. 3. de pactis.* Quantum ad solennitates & prohibitiones quasdam, ex jure Civili. *princ. instit. de nuptiis.*

II.

Et dictæ sunt nuptiæ, à nubendo, *eckolt. eod. vin. de nupt.* Ex eo quod olim novæ nuptæ pudoris gratiâ caput obnubere flammeo solebant. *Seneca in Octaviam, de poppæa neroni nubenti.*

Velata summum flammeo tenui capu.

A 2

Vel

4 DISPUTATIO JURIDICA

Vel à nub vel Nuba, quod germinare, augere, & fructificare, Hæbræis est, appellatæ sunt. Et definiuntur, ut ait. *imp. s. i. instit. de patri. potest. l. i. ff. de rit. nupt.* Nuptiæ inquit sive matrimonium, est viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. Vel consortium, ut § *Modestinus* omnis vitæ, Divini & Humani juris communicatio. *l. i. ff. b. t.*

III.

Itaque conjunctio animorum potius quam corporum intelligi debet, quoniam consensus, non concubitus, nuptias facit. *l. 30. ff. de reg. juris. l. pen. de don. int. vir. & uxo. l. 15. de cond. & demon.* Nam ea mente incuntur nuptiæ, ut sola morte dirimantur, *pere. in cod. de nupt.* Si modo adsint cætera, quæ ad justas nuptias requiruntur: ut Civitas, Ætas, Consensus, & Gradus non prohibitus, *instit. de nupt. pere. in Cod. de nupt.*

IV.

Excluditur Polygamia, dum inquit viri & mulieris conjunctio, nam duorum ejusdemque sexus conjunctio detestanda est, & Lege Dei, Lege Naturæ, & Legibus omnium Gentium damnata. *instit. de nupt. s. 6. & 7.* Igitur apud Romanos vetitum fuit, plures uxores eodem tempore habere quod & aliarum quoque Gentium moribus improbatum est. *Matth. 19. v. 8. l. 2. Cod. de incest. nupt. l. i. de his, qui not. in fam.* quam ob rem concludendum cum *Beza tractat. polygam.* Nunquam in foro conscientiæ licitum fuisse plures uxores uno eodemque tempore habere.

V. Dixi

V.

Dixi, *individuum vitæ consuetudinem continens* his autem verbis, Justineanum significare existimo, non tantum domesticam societatem & communicationem, sed etiam rerum quandam communionem, & indivisum rerum omnium inter conjuges usum, atque hanc interpretationem adjuvat *Modestinus, l. 1. ff. de ritu nupt. cum inquit. nuptiæ sunt conjunctio maris & feminae, consortium omnis vitæ, Divini & Humani juris communicatio.*

VI.

Injustæ nuptiæ sunt, quæ secundum leges aut Canones de matrimonio proditos contractæ non sunt. Justas nuptias contrahunt, & secundum præcepta Legum coeant, Cives Romani. *instit. de nupt. cum Servis igitur nuptiæ non contrahuntur, sed tantum contubernium. l. 3. Cod. de incest. nupt. quoniam Jus Civium non habent. Neque cum Peregrinis, quia extra Imperium Romanum sunt. Civium numero habentur, ex constitutione Antonini, omnes qui in Orbe Romano degunt. l. 17. D. sta. homi. hodie pro peregrinis habentur, qui Cristo nomen non dederunt. pere. in C. de nupt.*

VII.

Antea jam dixi, quinam nuptias contrahere possunt, nunc requiritur, ut contrahentes sint puberes. *instit. de nupt. Romani ea demum ætate Civibus suis matrimonium permiserunt, quæ natura apta esse creditur ad generandum, Maribus post annum decimum quartum, quo*

6 DISPUTATIO JURIDICA

tempore ipsam ætatem necessitate pubescere, & vim generationis moveri incipere scribit *Macrobius in som. scipion.* feminis autem biennio maturius, quia post annum duodecimum viros pati posse creduntur. *l. 4. h. t. instit. de nupt. l. 10. ff. de condic. & demons.*

V I I I.

Imprimis requiritur consensu ipsorum contrahentium. *l. 22. ff. de rit. nupt.* quia inter invitos nuptiæ non ineuntur, cum coactæ difficiles soleant habere exitus. *l. 12. Cod. de nupt. l. 14. eod.* proinde hic consensus debet esse certus, non erroneus circa personam & statum ipsius, cum qua contrahitur. *duare de nupt.* Item liber quoque ab omni metu. *l. 14. Cod. h. t.* estque verbis aut signis declarandus coram proprio Pastore, & testibus, ad evitanda incommoda & pericula, quæ olim ex clandestinis nuptiis proveniebant. *trid. sess. 24. C. I. § 6. l. 24. ff. h. t.*

I X.

Etiam requiritur consensus parentum, §. I. *instit. de nupt. l. 2. ff. de rit. nupt. l. 9. eod.* Nam hoc fieri debere, & Civilis & Naturalis ratio suadet *princ. instit. de nupt. l. 2. § 10. ff. eod. l. 12. Cod. eod.* Civilis posita est in patria potestate, quæ non patitur, ut Patri invito agnoscatur suus hæres. Naturalis in reverentia & obsequio, jure Naturali Parentibus à Liberis debito, quo fit ut si consensus Parentis propter furorem habere nequeat, liceat filio, quemadmodum & filiæ permissum erat, non expectato Patris consen-

consensu, nuptias contrahere. *instit. de nupt. Cod. l. 25. hoc tit.*

X.

In præcedentibus dixi, quorum consensus requiratur, cæterum cum dico Patris consensum desiderari, sic intelligendum non quasi eo amisso, nuptiæ jam contractæ, sint irritæ, sed quod non sunt justæ, seu legitimæ, ut recte sentit *Cujacius* secutus *Paulum lib. 2. sent. tit. 19.* qui tradit filios filiasque sine consensu Parentum nuptias contrahere non posse; contractas tamen non dissolvi, propter Publicam Auctoritatem, & si sine Patris consensu contractæ sunt, ipso jure nullæ sunt; ac nec vir, nec uxor, nec dos intelligitur, liberique ex eo coitu nati spurrii sunt. *§. si adversus ea instit. de nupt. l. 4. Cod. de incest. nupt. l. 11. ff. de stat. homi.*

XI.

Præterea, nuptias impedit honestas. *§. 9. instit. de nupt.* præcipue vero Affinitas vel Cognatio. *per. in Cod. ad instit.* illa est conjunctio ratione matrimonii orta inter conjugem & alterius conjugis cognatos. Hæc vero proximitas est sanguinis, orta ex eo, quod commune nascendi principium habeant. Cognationis quidem respectu nuptiæ sunt in infinitum prohibitæ in linea ascendenti vel descendenti, & collateralis ea, in qua sibi invicem Parentum & Liberorum loco sunt. *§. 1. instit. de nupt.* & si tales personæ coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. *instit. eod. l. 53. ff. de ritu nupt.*

XII. Jure

X I I.

Jure Civili nuptias contrahunt, illi qui sunt puberes, Cives Romani, non servi, nec Judæi cum Christianis. *l. 6. Cod. de judeis.* nec Præses cum Provinciali *l. 38. D. h. t.* nec susceptor, cum ea quam de fonte Baptismatis suscepit. *l. 26. Cod. de nupt.* nec Raptor cum Rapta. *l. 1. C. de raptu virg.* nec tutor cum pupilla. *tit. Cod. de interd. matrim. inter tut. & pup.*

COROLLARIA.

I.

Princeps est legibus civilibus solutus.

I I.

Filius familias Scto Macedoniano renunciare non potest.

I I I.

Posthumus, vel institui, vel exheredari debet.

I V.

Causæ exheredationis expressæ in nov. 115. extendi possunt ad similes vel graviores.

F I N I S.